



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Rationes contrariæ solutæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

definitio aut demonstratio aliave quacunque, sed veritas in communi sit eius finis & obiectum attributionis, ad quod tota refertur.

12

Declaratur. Sicut grammatica ordinatur velut ad finem & obiectum attributionis ad rectitudinem locutionis externae, sic similiter dialectica ad rectitudinem locutionis internae seu cognitionis, sed praecipua rectitudo cognitionis est eius veritas: logica igitur ad veritatem cognitionis & internae locutionis velut ad obiectum attributionis refertur. Minor est Anselmi dialogo de veritate cap. 1. ubi de cognitione loquens sic ait, *idem igitur est illi & rectam & veram esse, & significare quod est*: & paulo infra ergo non est aliud veritas quam rectitudo; quod toto illo capite repetit. Rursus eodem dialogo de veritate cap. 3. sic ait; *quapropter qui putat esse quod est, putat quod debet, atque ideo recta est cogitatio, si igitur vera & recta cogitatio non ob aliud quam quia puramus esse quod est, aut non esse quod non est, non est aliud eius veritas quam rectitudo.* Item cap. 9. eiusdem dial. vocat *veritatem rectitudinem sola mente percipibilem.* Præterea in monol. cap. 14. sic ait. *Constat quia in quacunque re sit veritas, non est aliud quam rectitudo*: definiente etiam eodem cap. utramque confundit: quo autem iure hæc ab Anselmo dicantur, ecquis non videat: siquidem veritas in conformitate actus cum obiecto sita est: omnis autem conformitas est rectitudo quadam.

CAP V T III.

Rationes contrariae solutae.

13

QVarum prima sit; finis logicæ proprius & intrinsecus est tradere instrumenta ad alias scientias ac veritates eis contentas comparandas, ut præter alios late explicat P. Fonseca lib. 2. metaph. c. 3. quæst. 1. lect. 2. at instrumentum ad scientiam seu veritatem aliquam comparandam à veritate ipsa distinguitur, sicut instrumenta ad navem fabricandam distincta sunt ab ipsa navi; finis igitur dialecticæ non est veritas, quæ in aliis scientiis elucet; finis inquam proximus, quod subiectum nuncupatur.

14

Pro solutione noto primo, logicam aliam esse actualem, aliam habitualem, hæc, habitus dialecticos, illa actus complectitur. Noto secundò, finem alium esse proximum & immediatum, alium remotum & mediatum; finis proximus scientiæ actualis quem illa considerat & cui attribuitur, est finis remotus scientiæ habitualis, atque cum eadem restrictione dici potest eius subiectum siue obiectum attributionis: finis autem proximus scientiæ habitualis non est obiectum aliquod, sed scientia actualis quam producit, aut ad quam inclinatur. Quibus animaduersis, si de logica habituali & eius fine proximo sermo sit, non habet finem obiectuum, sed dumtaxat effectuum, hoc est non habet finem per modum obiecti cogniti, sed per modum effectus producti; proinde licet instrumenta ad veritatem comparandam, actualesque regulæ & cognitiones dialecticæ sint eius finis proximus, non propterea erunt eius obiectum attributionis; hoc enim cum fine obiectiuo recurrit, atque idem prorsus est; Sin autem de eius fine remoto sermo sit, ita quidem eius finis non est ea traditio instrumentorum, sed veritas quam mediis suis actibus considerat; atque adeo hæc erit eius obiectum attributionis. Quod si de logica actuali loquamur, eius finis non est, tradere instrumenta & regulas sciendi, sed est illa ipsa traditio per

R.P. Lyncei Philosophia. Tom. I.

summam identitatem; siquidem Aristoteles prope medium capitis præcedentis citatus cum reliquis eam expresse vocat modum siue instrumentum sciendi: unde reliquum est, ut ipsa veritas ad quam instruit intellectum sit eius finis, & obiectum cui attribuitur. Hinc conciliari facile possunt, dissentientes primo aspectu philosophorum sententiae: omnes enim docent logicam esse modum siue instrumentum sciendi, ut ex Fonseca & Conimbr. capite præcedenti vidimus: omnes itidem docent instrumentum modumque sciendi esse finem logicæ, ut Fonseca paulò supra laudatus & Conimbr. tom. 1. logic. quæst. 5. proccm. art. 3. rat. 2. perhibent: hæc autem duo repugnare inuicem videntur: qui enim fieri potest, ut logica sit instrumentum sciendi, atque hoc simul sit eius finis, neque id quod est finis, & ad quod est finis mutuo distinguantur: verum optimè inter se coherent illa duo, si res paulò attentius inspicatur, atque vtriusque logicæ tradita distinctio consideretur: namque logica actualis est instrumentum sciendi, eius autem finis non est id ipsum instrumentum sciendi, sed sola veritas quam practicè respicit: logica verò habitualis non est instrumentum nec formalis regula sciendi, sed eius principium, adeoque eiuscemodi normam sciendi finem habet: quo fit, ut Philosophi sibi non repugnent, neque finem & quod est ad finem viciam confundant.

Secunda aduersus nostram sententiam ratio. Obiectum attributionis dialecticæ est obiectuum exemplar vtile ad alias scientias comparandas, quale v.g. est definitionem constare genere & differentia, ut huius intuitu Philosophus hominem animal rationale definiat, aut demonstrationem barbaricam constare 3. vniuersalibus affirmatiuis, ut ex hominis rationalitate eius risibilitatem in Barbara concludat, aliaque similia. At veritas in communi non est obiectuum exemplar vtile ad alias scientias comparandas; quis enim vnquam essentiam actus veri sibi proposuit, ut in aliis scientiis actus veros ad eam normam efficiat, & non potius aliis est vsus regulis & adminiculis? Veritas igitur ut sic non est obiectum attributionis dialecticæ.

Ceterum Recentiores, qui hoc argumento aliorum sententias impetunt, & nostram si paulò esset communior his temporibus, haud dubiè impeterent, ad homines, ut aiunt, expugnari possunt. Nam modus sciendi in communi est iuxta ipsos obiectum attributionis dialecticæ, & tamen non est exemplar obiectuum vtile ad alias scientias: ecquis enim sibi ob oculos mentis posuit, modum sciendi esse orationem ignoti manifestatiuam, ut huius exemplaris intuitu in aliis scientiis ignotum manifestaret: sicut intuens, definitionem constare genere & differentia hominem animal rationale definit, quisquis scientiam de homine aggreditur. Ad hæc vniuersum falsum est, finem & obiectum attributionis artis practicæ, esse exemplar obiectuum vtile ad artefactum efficiendum, & non magis ipsam praxim, & opus ad quod regulas præscribit: siquidem ars pingendi non habet pro fine hominem verum, quem velut exemplar sibi imitandum proponit, sed potius hominem pictum, ad cuius imaginationem regulas tradit; ut ut ergo veritas actuum intellectus non sit vllatenus exemplar obiectuum vtile ad alias scientias, & hoc quod falsum esse mox constabit, permittatur tamen; ea nihilominus erit obiectum attributionis diarecticæ, utpote quæ ad illam exequendam & assequendam regulas ac præcepta exhibet.

Præterea veritas actuum intellectus bifarium accipi

15

16

17

E

cipi

epi potest: videlicet in communi quatenus est conformitas actus cum obiecto, ita quidem se habente sicut per actum asseritur; aut in particulari, quatenus per eam aut definitio de definito, aut proprium de differentia, aut genus de specie, aut idem genus simul cum proprio de specie enuntiatur, aut genus in species dissecatur, aut ex tali talive identitate extremorum cum medio vnum de altero dicitur & concluditur, aut demum quouis alio artificioso modo ea intellectui sese insinuat. Veritas in communi sumpta est exemplar in communi sumptum utile ad alias scientias comparandas: Ceterum in particulari & posteriori modo sumpta est exemplar in particulari ad alias scientias maximopere conducens. Quæ cum ita sint ad argumentum respondeo negata maiori, quæ veritatem in communi exemplar esse negabat. Ad eius probationem dicendum est, ob id neminem proponere sibi imitandam veritatem in communi, quoniam solum est exemplar in communi, eum vero qui alias scientias addiscit solum iuuare possunt exemplaria dialectica in particulari, siue, quod iuxta est, exemplar in communi quatenus per illa contrahitur. Et quidem veritatem in communi, tametsi eam prout sic abstractam nobis imitandam non proponamus, nec eius intuitu definire, diuidere, argumentari, conuertere, ampliare, restringere, describere, aliove simili modo in materia aliarum scientiarum procedere non soleamus, esse nihilominus exemplar obiectuum utile ad alias scientias constat: tum quia ad hoc abunde est, si prout contracta ad rationes & ideas inferiores imitanda proponatur; tum etiam quia exemplar in communi, prout latissime funditur, & in omnia & quæcunque patet, est verè exemplar, ipsumque est cui primo conuenit definitio exemplaris, videlicet esse id ad cuius intuitum & similitudinem operatur artifex, & id quod destinabat efficit: Atqui huiusmodi rationem communissimam & abstractissimam prout talem quis vnquam sibi proposuit, ad domum v.g. extruendam, aliudve quodcunque artificiosum numeris suis absolendum? Similiter ergo veritas in communi, quamuis prout ita sumpta neutiquam proponi soleat imitanda ei, qui alias scientias addiscit, erit tamen exemplar aliarum scientiarum non particulare sed commune, adeoque obiectum attributionis dialecticæ, quantumcumque hæc nisi exemplari nequeat attribui.

18

Tertia ratio aduersus nostram sententiam: cognitio attributorum omnium ordinatur ad cognitionem obiecti attributionis: at quis compos asserat, omnia quæ dialectica tractat ob id tractari, vt quid sit veritas in communi assequaris? nam quid ea sit perfectè cognoscere cuius promptum est, nec tam difficile vt dialecticam in eo tantopere desudare eiusque gratia tot regulas tradere oporteat. Hoc etiam argumentum retorquetur; nam quis dicat vniuersa quæ dialecticæ finibus ac regionibus continentur, ad id vnum spectare, vt quid sit modus sciendi in communi perfectè cognoscas, vel etiam quid sit demonstratio, aut quid definitio? At aduersariorum alij modum sciendi, alij demonstrationem, alij definitionem, alij alias rationes communes eidem difficultati obnoxias dialecticæ obiectum attributionis statuunt. Similiter etiam premi possunt, qui ens vt sic metaphysicæ, ens mobile physicæ, quantitatem continuam mathematicæ, & discretam arithmeticæ subiecta arbitrantur. Rursus; quamuis attributa dialecticæ ad cognitionem veritatis in communi ultimo non referrentur, haud propterea veritas dialecticæ subiectum negari posset aut deberet, sicut ar-

gumentum nititur: Etenim vt scitè docet Durandus q. 5. prol. n. 9. id interest inter facultates speculatiuas & practicas, cuiusmodi est dialectica, quod illæ perfectam cognitionem subiecti vltimè intendunt, & ad eam attributa referant, hæc verò, tametsi cognitionem seu assecutionem sui subiecti non semper negligant, haud tamen eam, sed potius executionem talis subiecti extremè intendunt, & ad eam regulas tradant, & cuncta quæ tractant, sponte sua destinent. Quin etiam, licet Dialectica, Ethica ac Medicina, quæ est earum perfectio & cum praxi mista speculatio, perfectam cognitionem siue assecutionem sui subiecti pro derelicto non habeant, sed eam propter illud exequendum intendunt; ceterum aliæ artes inferiores minusque perfectæ de essentia sui subiecti comprehendenda exactèque cognoscenda parum sunt sollicitæ: nam pictor v. g. neutiquam attendit, aut curat, quid sit pictura vel imago, quod eius genus & differentia, in quoniam eius forma artificiosa consistat, in situ nimirum, seu vicatione partium, vel potius modo quodam distincto; atque de his te interrogantem risu vel etiam sibilo excipiet, eaque nihil ad se esse respondebit. In id igitur regulas suas, & curas ac cogitationes suas intendit, vt imaginem exequi, si velit, possit, qualiscunque sit eius quidditas, & siue hac siue illa forma artificiosa constet. Vbi igitur regulæ omnes dialecticæ ad executionem veritatis formalis conducant & referantur, id sufficit, vt veritas sit obiectum attributionis dialecticæ præsertim practicæ, quamuis ad eius comprehensionem & perfectam assecutionem non referantur, idque argumento confici vltro largiamur.

Postremò transeat, cognitionem subiecti Dialecticæ debere esse eius finem, ad quem omnia eius obiecta referantur: quin etiam id verum esse quoddam sensu absolute arbitror; Namque subiectum Dialecticæ est eius finis non prout actu executioni mandatum vel prout proximè exequibile, eius autem cognitio & comprehensio denominat & constituit illud ita proximè exequibile; proinde talis cognitio est finis Dialecticæ; non quia; haud enim est qui intenditur reddi proximè exequibilis, sed eius terminus, nempe veritas quam cognoscit; sed tamen finis quo, propterea quod sit id quo obiectum vltimum Dialecticæ constituit proximè exequibile. Quamuis ergo cognitio subiecti dialecticæ debeat esse eius finis, nihilominus inde non fiet, veritatem haud esse eius subiectum; Namque ad eius etiam cognitionem cognitiones omnes attributorum huius facultatis referuntur. Cuius rei gratia prænotandum est, sicut obiectum attributionis dupliciter sumi solet, scilicet in communi & ab attributis præcisum, & in particulari, ac per illa contractum, ita similiter eius cognitionem duplicem esse, aliam quæ illud in communi & confusè cognoscit, aliam quæ illud in particulari & distinctè perspicit. Prior cognitio constituit obiectum attributionis & ei vnitatem tribuit, à qua tota scientia dicitur vna, non tamen illud possidet, sicut desiderium obiecti illud constituit finem æqualem voluntatis, non tamen possidet, alias desiderium non esset. Posterior cognitio est possessio obiecti attributionis, non tamen illud vnum constituit, eive vnitatem & essentiam tribuit, quemadmodum visio clara Dei, nostraque felicitas eum possidet, non constituit. Attributa omnia scientiæ etiam practicæ, dummodo sit perfecta, siue eorum cognitio ordinatur ad posteriorem cognitionem obiecti attributionis, videlicet eius possessionem, non tamen ad priorem, quæ id vnum constituit

19

stituit & non possidet. His ita decursis; Cognitio illa, qua quis scit quid sit veritas in communi, & num in actu simul & obiecto sita &c. non est possessio veritatis in communi, tamen eam ab inferioribus abstrahat, eique unitatem ad rationem subiecti necessariam impertiat; unde quamvis ad talem cognitionem reliquæ cognitiones dialecticæ non ordinentur, pro eo ac obicitur, id non obstabit, quominus veritas sit obiectum attributionis huius scientiæ. Possessio autem veritatis ut sic huic facultati subiecta, est, quæ in particulari cognoscit varias species veritatis in communi, supra memoratas; quid nimirum sit vera ac propria definitio, diuisio aut argumentatio: aut quæ sit cuiusvis propositionis, siue vniuersalis, siue particularis, siue affirmatiua siue negatiua sit, vera, æquipollens, aut conuersa, contraria aut contradictoria: item ex qualitate terminorum suppositione, restrictione, appellatione, aliave proprietate qualis propositionum veritas resultet. Atqui ad huiusmodi cognitionem perfectam distinctamque possessionem veritatis dialectica tota, quam latè patet, omniæque eius attributa velut ad finem referuntur, quin argumento facto contrarium euincatur: quidni ergo veritas huius disciplinæ sit obiectum attributionis? Porro hæc solutio exponi potest & confirmari exemplo physiologiæ & metaphysicæ, quæ non ad quamcunque cognitionem entis ut sic aut entis mobilis, sed ad eorum possessionem cognitiones attributorum suorum referunt.

20 Quarta ratio contraria. Cognitio proprietatis refertur ad cognitionem essentiae, eique attribuitur, in scientia ad quam pertineant amba: ut in scientia de ente ut sic siue metaphysica, & scientia de Deo siue Theologia, aliisque peripicuum: veritas autem est proprietas demonstrationis, v.g. igitur in dialectica cognitio veritatis ad perfectam cognitionem demonstrationis refertur; ac proinde è contrario cognitio demonstrationis non refertur ad cognitionem veritatis, neque ei attribuitur: veritas ergo totius dialecticæ nequit esse obiectum attributionis. Iam dixi sæpe sapius, in facultate practica, qualis est dialectica, cognitionem attributorum non referri veluti ad finem qui ad perfectam operis subiecti cognitionem, sed potius ad eius executionem prout proximè possibilem: quocirca, licet cognitio demonstrationis non referatur ad cognitionem veritatis, tamen hæc obiectum attributionis dialecticæ censenda erit, cum cognitio demonstrationis & reliquæ huius scientiæ ad veritatis executionem proximè possibilem constituendam referantur, & non idcirco ad executionem demonstrationis dialectica dirigat, quoniam est demonstratio, alioquin ad definitionem non dirigeret, sed quia cum veritate coniuncta est, ac talem habet proprietatem, non secus ac musica dirigit ad executionem numeri quia sonorus & ad auditum oblectandum idoneus est, talemque proprietatem seu differentiam accidentalem sibi vendicat. Quid? quod cognitio essentiae ad cognitionem proprietatis referri, ac proprietati cognita velut subiecto attribui potest, in scientia vtriusque communi? quo pacto mathematica cognitionem aliquam corporis ad perfectam cognitionem quantitatis continuæ sibi subiecta refert; unde veritas hac de causa ab obiecto attributionis dialecticæ excludi non meretur.

21 Quinta ratio priori similis. Veritas in communi, siue, quod iuxta nos perinde est, actus verus est pars modi sciendi aut demonstrationis, aut definitionis alteriusve particularis artificij logici; pars, inquam,

P. R. Lyncei Philosophiæ Tom. I.

quæ velut genus definitionem v.g. constituit, quando definitio, siue propositio explicans naturam rei est talis actus verus, quemadmodum homo tale animal: veritas igitur est attributum dialecticæ, eiusque cognitio in illa ad alterius cognitionem porro refertur. Antecedens cum exploratum sit, consequentia suadet, quoniam cognitio partis conducit ac refertur ad perfectam cognitionem totius, & non è conuerso; cum toto perfecte cognito pars etiam perfecte cognita supponatur, cum fieri tamen possit, ut pars aliqua toto adhuc latente liquida ratione innotescat: quando ergo veritas ut sic est pars veritatis definitiua, non hæc ad illam, sed potius illa ad hanc in cognoscendo veluti ad finem referetur. Principio retorquetur argumentum: modus sciendi, aut demonstratio, aut etiam definitio, si sit præmissa, est pars demonstrationis in Barbara fabricata; & tamen iuxta aliquos aduersarios modus sciendi est obiectum attributionis dialecticæ, iuxta alios demonstratio ut sic, iuxta non paucos definitio: Barbarica vero demonstratio secundum omnes est merum attributum. Quanquam ergo veritas in communi, siue actus verus sit pars definitionis, alteriusve artificij logici, poterit nihilominus esse obiectum attributionis huius scientiæ, & quæ metaphysicæ per eam constituuntur, poterunt esse sola attributa. Vtremque id supponit argumentum, obiectum attributionis dialecticæ alteriusque cuiusvis scientiæ esse id, cuius cognitio est finis qui proximè exequibilis: Hoc autem solius scientiæ speculatiuæ proprium esse, & ab omni facultate practica alienum prorsus existere sponte sua patet, & à nobis est multoties probatum. Tamen ergo cognitio veritatis non sit finis qui exequibilis eorum quæ in dialectica tractantur, sed potius ipsa veritas, hanc nihilominus esse obiectum attributionis, inde non refellitur, sed magis comprobatur.

22 Tandem recolenda est, duplex illa relatio attributorum ad subiectum, quæ in scientiis speculatiuis & aliquoties in practicis locum habent: alia est velut obiecti materialis ad formale à se indistinctum, alia vero est instar eius, qua medium ad finem à se distinctum refertur. Demonstratio igitur aut definitio aut modus sciendi non referuntur in cognoscendo posteriori modo ad veritatem; sed è diuerso veritatis cognitio ea ratione ad prædictarum rerum notitiam refertur, ut argumentum contendit, & meo iudicio probat. Cæterum prædicta obiecta habent priorem relationem in esse cognito ad veritatem; idcirco enim agit dialectica de definitione, de demonstratione, de modo sciendi, quia quibus horum actuum est actus verus, sin minus, de nullo eorum actura; Quod autem idem, vel certe consequens est, cognitio definitionis, demonstrationis, modi sciendi, & similium rationum ob id intenditur in dialectica, quia est cognitio veritatis, eiusque intentionis fundamentum, hoc est, quod cognitiones prædictorum obiectorum logicæ, suapte natura & independenter ab authorum arbitrio referantur & conducant omnes ad facilem & promptam executionem veritatis, adeoque ad cognitionem per quam ea ita proximè redditur exequibilis. Quanquam ergo obiectum attributionis scientiæ etiam practicæ id esse debeat, cuius cognitio est cæterorum finis, hoc tamen nil probabilitatis nostræ sententiæ detrahit, ut pote qui talem rationem finis rectè explicatam, cognitioni veritatis non denegamus, quemadmodum oportet, ut veritas sit cognita dialecticæ sit subiectum, & quod aium, summum & vltimum.